

AVGVTISSIMO, INVICTISSIMOQVE CAESARI FERDINANDO ROMANORVM, BOHEMIAE AC HUNGARIAE REGI, ILLVSTRISS. PRINCIPI ARCHIDVCI AVSTRIAE &c.

Domino suo gratiosissimo Petrus
Jordan Calchographus S. D.



FRIDERICVS

NAVSEA, INVICTISSIME Caesar, iuris Caesarei, ac Theologiae doctor, diuiniq; uerbi & ueteris religionis nostrae propugnator acerrim⁹, in causa mihi fuit, cur homo sortis abiectae, nullóq; reputandus numero, Maiestatem tuam interpellare, literis obtundere, chartaceumq; munusculum obtrudere sim ausus, cuius me tamen uti nec autorem, ita nec interpretem, imo ne scholasten quidem (ni frontem malim insigniter perfricare) agnoscere possum: quum hoc tam erudito saeculo, tot passim insigniter docti, ac precelebres suboriantur uiri, qui celsitudinem tuam, ingeniorum suorum fructibus, non tam cohonestare, quam demereri facile queant. At ne non huius audaciae meae, apud celsitudinem tuam reddatur ratio, Augustissime Rex, rem ut habet paucis aperiã. Annus mihi fere exactus est, ex quo imprimendis Nauseae Centurijs praelum nostrum usq; defatigatur, quibus in uernaculum sermonem uertendis, autor ipse haud contemnendam operam impenderat: iamq; prima pene uersa ab illo centuria, officinae nostrae excudenda committitur, simul qua possem industria rem absoluerem ab eodem iniungitur. Hunc enim laborem nostrum, Celsitudin tuae gratum fore, ac placitum augurabatur uir ille, regiae Maiestatis mirifice studiosus. Verum interim dum sub praelo nostro feruet opus, forte fortuna euenit, ut Nausea docendi diuini uerbi causa, a Maiestate tua istuc auocaretur, quae res licet nobis satis incommodè accideret, tamen celsitudi ni tuae, cum ad regni tranquillitatem, tum uero ad patriae, in ueteri religione conseruandae, statum haud parum (uti speramus) est profutura. Caeterum Homeliarum cudendarum operam discessus interpretis ut intermitteret effecit, & nunc grauioribus (ut opinor) districtus est occupationibus, quibus cui uertendis ad plenum centurijs multum operae uacet. Vnde nobis non sine rei familiaris, (quae alioqui mihi tantum non accisa est) iactura, labor iste constitit: siquidem frustra in eo quidem opere haecenus mihi in clamatus Hylas. Cum autem M. tuam homeliarum germanicè traductarum singulari quodam teneri desiderio rescuissem, data est medijsfidius omnis opera, ne non Serenitati tuae rem gratam fecisse uideremur, non sanè quod amplitudo tua uersione uernacula multum indigeret, quando ea ipsa linguas & latinam & complures alias, pre-

Fridericus
Nausea

cat,